Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Tractatus theol. de actibus humanis - Cod. Ettenheim-Münster 302

[S.l.], 1697

Quaestio 2da

urn:nbn:de:bsz:31-131009

Visual Library

Quaeritur an teneamur conformari in formali volito et positive teneamur divino volito.

R[?]. Videri quaestionem nominis: si enim aliquis diceremus positive conformari in volito formali esse, quod conformemur in ultimo fine qui est ipse Deus commune bonum omnium rerum, respondendum est affirmative: nam necesse est, bonum actum explicite vel implicite ordinari ad Deum.

Si vero cum aliis dicamus positive conformari in volito formali Dei esse, quod expresse idem volumus sub eadem ratione generali sive particulari, sub qua vult Deus, ita ut non tantum non tristemur de ea ratione, sed et positive gaudeamus.

Respondendum negative. Sufficit enim, si illud formale motivum Dei non displiceat.

Quaestio 2da, quid et quotuplex sit conscientia.

Quaestio 2da
Quid et quotuplex sit conscientia

Conclusio 1ma. Conscientia nostra non est aliqua substantia, vel animus aliquis, vel ratio inhaerens animae, sed conscientia.

Probatur 1mo auctoritate S. S. Patrum: Damascenus l. 2. ca. 12 de fide conscientiam vocat legem intellectus nostri. Sanctus Laurentius Justinianus[?] in sermone S. Mariae dicit, conscientiam nihil aliud esse, quam rationis judicium.

Probatur 2do ratione: nam ex ipso nomine conscientiae colligitur, eam esse aliquid animae intrinsecum; cum enim dicimus, sum mihi bene vel male conscius: ubi bonum verbum non significat aliquam denominationem extrinsecam, quae sit ab extra sumpta, sed conscientia est sublimes spiritus, ut quidam voluerunt. Hugo a S. Victore aut mos est ut alii senserunt, conscientiam Angelum esse, vel inde constat, quia singulis animis inest conscientia, quod et absque eorum substantia, cum haec realiter differant; impium esse dicere, diaboli conscientiam esse Deum.

Conclusio 2da: Conscientia pertinet ad intellectum, et non ad voluntatem. communis et certa.

Probatur haec conclusio tum ex dictis conclusione prima, tum ex eo, quia conscientia est judicium, & regula actionum et inquisitionum, atque rectas, cum non sit cognoscitiva & ... necessario judicare, actum regulae actuum & inquisitionum.

Conclusio 3tia. Conscientia est solum actualis quaedam cognitio est communis Th. Th. post D. Thom.

Ratio est primo quia partes conscientiam constituunt in quadam cognitione, testimonio, reprehensione &c.

Ratio est 2do. Conscientia est regula actuum & inquisitionum, habitus autem & potentiae non sunt regulae, sed principia actiua, quae producunt cognitiones, actuum & inquisitionum directivas.

Conclusio 4ta. Dividitur conscientia in speculativam & practicam. Probatur communis.

Speculativa est judicium, quo quis bonum vel malum, jam peractum, subsequitur, vel simpliciter recordando; & sic conscientia vocatur testimonium, juxta illud 2dae Chorinth. cap. 1. v. 12. gloria nostra haec est, testimonium conscientiae nostrae. Vel judicando, an recte, an male actum sit, adeoque excusando vel accusando factum; & sic conscientia vocatur judex, vermis, remorsus &c. quod ostendit nobilia; interdum notitia vocatur eo modo, quo opus artis, artem solemus vocare, ita et actus nostros, qui conscientia vel habitus nostri, ut mundam vel immundam inspiciunt, conscientia subinde nominatur, juxta illud Hebraeorum 9. mundabit conscientiam nostram ab operibus immundis.

Speculativa conscientia dividitur in bonam aut malam, ut ex dictis patet.

Conscientia practica est judicium, quo quis bonum praecedit, & quo actibus practicis indicat, aliquid hic & nunc esse vetitum, aut concessum honestum, aut turpe.

Differt haec a synteresi, scientia morali, & Lege: nam actus synteresis est practicum judicium evidens de primis principiis morum, abstrahendo a

circumstantiis particularibus, ut bonum est faciendum, malum vero fugiendum.
Actus potius moralis est judicium de practicis morum conclusionibus, quae approximissime ex synteresis notitiis, aut saltem ex harum una, et altera aliunde sumta, eruuntur deducunturque.
Lex est rectum rationis dictamen, prout formaliter est in superiore, ad aliquid agendum vel omittendum obligans.
Conscientia vero est dictamen rationis particulare, prout reperitur in inferiore, de rebus hic & nunc agendis, aut cavendis: adeoque est applicatio legis potius, quam lex ipsa, ut proinde possit lex primaria & remota, conscientia vero secundaria & proxima humanarum actionum regula vocari. Nec refert, quod dicatur lex naturalis esse inferiori cuique insculpta, nam eiusmodi dictamen, prout in nobis reperitur, non tam formalis lex, quam legis applicatio videtur, cum lex naturalis primario in Deo existat, neque ab aeterna lege aliter, quam ratione distinguatur.

Conclusio 5ta. Conscientia practica dividitur in rectam, erroneam, dubiam, opinabilem, sive probabilem & scrupulosam. Ratio huius conclusionis a Suarez hic disp. 13. sect. 2. no 6. affertur ista: Conscientia est quaedam cognitio sive judicium; ergo tot erunt species conscientiae, tot, quot possunt assignari motiva, seu diversa practice assentiendi: & sic, quia aliud motivum est rectum, aliud erroneum, aliud dubium, aliud opinio, aliud denique leve & nullius momenti, dividitur conscientia in rectam, erroneam, dubiam, opinabilem, & scrupulosam.

Arguitur 1mo ab autoritate Origenes l. 2. in Epist. ad Rom. conscientiam vocat spiritum, qui sit noster tutor, Angelus, &c. Item quod sit rector et paedagogus, animae nostrae sociatus &c. Et Tertullianus ait primo ita illud Menandri apud des gentes & nationes mortalibus omnibus: Menandri conscientia Deus est.

Arguitur 2do. conscientia appellatur bonum et malum quorum judex, vindex, testis, hostis, tortor, accusator, advocatus, amicus consolator, fraenum ne peccemus, flagrum postquam peccavimus etc. ergo conscientia est nudus et potius potentia.

R. ad utrumque argumentum ita loqui non adaequate proprie sed figurate et alligendo excellentem quandam vim inhaerentis nobis conscientiae indicent, quam Deus nobis indidit, velut proregem et vicarium suum, ut vice ipsius actiones nostras dirigat, unde et vice Deus a nonnullis appellatur, adeoque haec attributa conscientiae, cum neque increatum, neque creatum aliquem habitum esse conveniunt.

Arguitur 3tio. moralis bonitas et malitia magis proprie ad voluntatem eiusque actiones et alitus pertinet; atqui bonitas et malitia moralis proprie conscientiae competit juxta illud 1mae Thimothei 1mo, et 1ma Petri 3tio etc. justorum conscientia vocatur bona et mala.

R. moralis bonitas et malitia conscientiae competit, subiective, neque ... , obiective ... idest conscientia versatur circa objectum, h. e. actum aliquem bonum aut malum; et quando fit diverso, conscientiam esse bonam aut malam, ac conscientiam esse bonis aut mali, sive de bono sive de malo.

Arguitur 4to. si conscientia intellectum pertinet, sequitur aliquem eo melioris conscientiae fore, quo clariorem suorum gestorum, aut gerendorum cognitionem habet, aut feliciore ingenio, et majori scientia praeditus, quod tamen videtur contra experientiam in doctis, qui plerumque sunt ... , et nullius conscientiae homines, juxta illud germanicum adagium: Je gelehrter, je verkehrter.

R. eum, qui feliciore ingenio est praeditus, esse melioris conscientiae, subiective; objective, et si verum est, et doctissimum posse esse objective pessimum, imo nullius, id est, nullius pretii conscientiae.

Arguitur 3tio. conscientia dicitur scire, iuxta illud Eccl. 7 [illegible] scit conscientia tua, quia & tu crebro male dixisti aliis: & proprium est, ut loquimur; conscientia hoc dictat, praecipit, prohibet &c. ergo conscientia non est ipsum scire, dictare, sive dictamen actuale est, sed quoddam huius principium, adeoque habitus vel potentia intellectiva.

Resp. sensum verborum propositorum non transitivum, sed intransitivum esse, ut loquuntur theologi; id est, conscientia non esse eorum activum principium, testimonii dictaminis &c. sed esse ipsum scire, dictare vel dictamen &c. quo simili sensu dicimus hoc vel illud cogitatio mihi suggerit, non quod suggestio a cogitatione, tamquam activo principio procedat, sed quod ipsa suggestio essentialiter sit cogitatio. Quaestio 3tia, utrum actus moralis, ut sit bonus, possit & debeat conformari conscientiae erranti.

Quaestio 3tia.

Utrum actus moralis, ut sit bonus, poſsit & debeat conformari conscientiae erranti.

Pro statu quaestionis supponimus, quod ut actus bonus debeat esse conformis rationi; quia actus non potest conformari obiecto honesto, nisi etiam conformetur rectae rationi, honestum obiectum proponenti. Nec refert, quod actus dicatur habere suam bonitatem ab obiecto & extrinsece non a conscientia: quia actus habet quidem suam bonitatem ab obiecto intrinsece & a priori; argumentative tamen & a posteriori habet etiam a conscientia: hoc ipso enim, quod actus sit conformis rectae rationi, tamquam regulae proximae, sequitur argumentative, quod actus sit conformis honesto obiecto, adeoque bonus esse infertur ex rectitudine huius regulae, tamquam a posteriori. — Restat ergo solum hic examinare, quid sentiendum sit de conscientia erronea. Et quod conscientiae erranti actus non debeat conformari.